

*B. N. # 173.  
h. 48,9.*

*X 1881564  
Q. D. B. V.*

*II m  
463*

DISSERTATIO HISTORICO-  
PHILOLOGICA

De

# INSIGNIBUS

eorumque

INTERPRETATIONE,  
Amplissimi Ordinis Philosophici

consensu,

in alma Philurea,

*d. XVII Junii, Anno M DC XCIII.*

*PRÆSIDE*

M. JOHANNĒ Gottlieb Meister /  
Schol. Lipsiens. Senat. Con-R.

&

AUTORE-RESPONDENTE

JOHANNĒ Reilhacker / Naumburg.

SS. Theol. Cult.

*H. L. Q. C.*

placidæ Eruditorum disquisitioni  
exhibita.

LIPSIAE,

Literis WITTIGAVIANIS.

*J. D. L. Reilhacker*

*H 24: 20*



INSTITUT

INTERPRETATION



JOHANNES

WITTIGAVIANIS





I. N. I.

## PROOEMIUM.

I.

**D**E Insignibus acturus impræsentiarum eorumque, pro ingenii quidem modulo, Interpretationem daturus, rem arduam suscipere me, & anseris instar olores interstrepere non diffiteor. Cum enim viri & eruditione & autoritate insignes accurate & copiose pertractarunt isthoc argumentum, non dubito, fore plerosque, qui huncce conatum meum intempestivum & materia hac sublimi non satis dignum iudicabunt. Ast sicuti ex parvis atque tenuibus initiis; magna producere non exigua laus est; ita eorum quoque industria, qui multa ad conspicuam quandam paucitatem redigunt, & amplissimum dicendi campum in arctas veluti fauces compellunt, non improbanda prorsus erit. Id verò ut à me hac vice præstetur, ut in tabula quasi exprimat, quid alibi de Insignibus fusissime deductum reperitur, pro virili parte laborabo.

II.

Priusquam vero id fiat, ea, *quæ ad vocem spectant* paucissimis præmittere lubet. Insignia (ab insigniando, ista sc. quæ scutis, vexillis, vestibus &c. impressa conspiciuntur, dicta) aliàs arma, galea & scuta vo-

A 2

can-

cantur. Sic specialioribus nominibus Notæ Familiarum hæreditariæ, Tesseræ Gentilitiæ, Stemmata, Sigilla, Emblemata, Symbola, Characteres &c. audiunt. Gallis Devises, Græcis Δείγματα, Germanis Wappen à Waffen/Schild/Helm/Kleinod &c. dicuntur v. Hœp. de jure Insign. c. 1. n. 26. seqq.

### III.

Ex hisce Synonimis vocabulo *Insignium*, quippe tritissimo & usu maxime recepto, in Dissertationis nostræ frontispicio usi sumus, cujus acceptiones varias laudatus jamjam Hœping. de jur. Insign. c. 1. n. 9. seqq. evolvit. Vox enim insignium 1. adjective sumitur. idemque significat ac egregia atque præclara. 2. Denotat Signa, Symbola, notas; ut dextra fidei insigne. 3. Rerum, corporis & morum ornatum. 4. Dona militaria, vestitum, arma, galearum ornatum. 5. Ornamenta dignitatum. 6. Imagines majorum. 7. Notas hæreditarias familiarum, quæ significatio ex reliquis omnibus aliquid habere videtur.

### IV.

Jam ad Definitionem nos accingimus: *Interpretatio Insignium est significationis veræ intentæque ab autoribus suis, cognoscibile quicquam denotantium, accurata quâ fieri potest, evolutio.*

### V.

Tractionem ipsam in duo dissecabimus capita, quorum prius de *Objecto*, posterius de *Modo istius Interpretationis* aget, faxit Deus feliciter!

CAP.

CAPUT I.  
DE  
INTERPRETATIONIS INSIGNIUM  
OBJECTO.

I.

**I**nterpretationis nostræ Objectum ipsa constituunt Insignia, quorum primum observaturi sumus *Origines*. Equidem non regrediemur in Secula ante diluviana, ubi Noachi familiæ; nec postdiluviana proxima, ubi Ebræis, Israëlitis & Davidis potissimum Leoni Insignium attribuuntur incunabula: nam incerta isthæc sunt, & quæ facile in dubium possunt vocari. Haud male tamen Ægyptiorum leones, tauri, draconisque caput &c. Græcorum in ludis olympicis Signa, clypei atque trophæa Romanorum huc trahuntur, quippe quæ ansam præbuerunt, subsequenti- bus seculis excogitare Insignia & notarum gentilitiarum loco assumere. Domi si habitare lubeat atque Germaniam nostram inspicere, Carolus M. & Henricus Auceps oculis obversantur. Horum prior Monogrammatum in Diplomatum conspicuorum præcipuus autor, quique primus Sigilla iisdem impresserit, habetur. *v. Mabill. Lib. 2. de re Diplom. c. 10. Et 16.* Posteriores, Aucupem sc. Ludorum equestrium instauratorem, qui circa annum 953. eosdem instituisset, communiter credunt, confer. *Wappen B. P. 1. Pref. num. 10.* Alii vicissim expeditionem in Terras sanctas cruciatam Insignia dedisse, quibus diversæ nationes & gentes sub diversorum Imperatorum ductu militantes distinctæ fuissent, persuasum sibi habent *v. Spelm. aspilog.* Huic pollicem premit *Cl. Schefferus in Lib. de antiquis verisque, Regni Suec. Insign.* Is enim Insignium ætatem vix ac ne vix quidem Seculum à Christi nati- vitate X. vel XI. excedere statuit; siquidem tessera Christiano- rum in expeditione Orientali contra Saracenos receptæ, parta post- modum victoria domi retentæ gentes, familiasque distinxerint, qui deinde mos per totum Europæ orbem increbuisse. Dantur etiam aliorum & extra Europam degentium populorum Insignia, uti exemplo Sinensium, Habessinorum, Persarum, Turcarum &c.

patescit, sed eorum ignorare natales nemini ducetur turpitudini, quippe de ipsa Imperiali aquila, eaque bicipiti, unde originem trahat, valde dubitatur adhuc & inter eruditos disceptatur.

## II.

His prælibatis *Insignium Descriptionem* aggredimur, quam varii varie tradidêre. Placet hic loci duas afferre in medium, quæ cæteris omnibus sive clariores videntur sive accuratiores. *Altera Petra sanct. Tess. Gentil. c. 2. p. 2.* est, hujus tenoris: *Insignia, sive ut ipse autor amat loqui, arma Symbolica tessera gentilitie sunt, expresso idoneo lumine ad familiarum discrimen pariter atque ornamentum: altera Limnai, qui jur. Publ. VI. T. II. 12.* Insignia ita describit. *Esse scilicet ea signa, Principis autoritate alicui concessa, aut propria voluntate assumpta, personam à persona, familias à familiis, civitates à civitatibus, Collegia à Collegiis varie distinguunt.*

## III.

Sequitur Divisio, quam nimis prolixè & ita quidem ut extra oleas vagatos fuissè videantur *Hæping. c. 2. v. S. Rev. Dn. D. Spen. Part. Gen. Op. Herald. c. 1. p. 13. §. 8.* item *Spelmannus & Kekermannus* tradiderunt, qui singulos fullonum aliorumq; opificum characteres & mercas Insignibus annumerant *v. Scheff. c. 2. Insign. Svec.* Omnium accuratissime processisse videtur *Dn. D. Spenerus*, qui in quatuor classes omnia dispescuit Insignia, nempe 1. *Dignitatis*, qualia sunt Enses Saxonici, Mitra & pedum Episcoporum &c. 2. *Domani* quæ certum terræ tractum ejusque dominationem inferunt; 3. *Communitatis*, quibus Civitates Academiæ, & Societates utuntur; 4. *Familie*, in cujus classem tum Nobilium, tum ignobilium Insignia reponuntur, ita ut referri quoque huc possint artificum Scuta, e. g. pictorum, quæ palmulis tribus albis in rubro Rudolphus Imp, gratiose notavit *v. Dn. D. Spen. Lib. cit. p. 22. §. 33. seqq.* Limnæo Insignia vel Simplicia sunt, quæ certis coloribus, spatiis, figuris &c, constant; vel composita, quæ multis rebus & figuris distincta.

## IV.

*Causa Insignium Efficiens* Magistratus Superior est, ita tamen, ut alii quandoque eadem sibi jura vindicent. Equidem in Gallia solum Regem concedere Insignia *Meneft. l'art. du Blason. justif.*

*justif. p. 319.* probat; sed apud Anglos, teste *Nicol. Upton. de milit. offic. lib. 4.* quilibet nobilis propria autoritate Insignia sibi sumit, quibus tamen, quæ à Principe fuissent concessa, longe præferrentur. Nobis Germanis *juxta Bartol. de Insign. & armis n. 4.* non prohibitum est, proprio quidem ausu Insignia eligere, si modo electio ea non sit fraudulenta, aut in alterius æmulationem suscepta. Nihilominus tamen apud nos Inviçtissimus noster Imperator is est, à quo ut præcipuo fonte sicut alii honores, ita hic quoque Insignia conferendi vel assumpta confirmandi fuit *vid. Hæp. de jur. Inf. c. 8. §. 1. m. 2. n. 19. seqq.* Isthoc verò jure Augustus noster vel per se utitur, vel per alios. Ut enim taceamus cæteros Austriae Archi-Duces Electoresve *v. Hæp. l. c. c. 8. §. 1. m. 4.* Comites quoque Palatini à Cæsare creantur, qui potestatem Insignia dandi, sed restrictam exercent.

#### V.

*Forma* Insignium *externa* in oculos statim incurrit, si scilicet partes inter se conferantur, figurarum collocatio atque colorum, tincturarum & metallorum mixtio observetur. Vis autem significativa seu Symbolica *Formam* constituit *internam*: eò enim respicit & qui concedit Insignia & cui conceduntur, ut per ea significetur quippiam. Inde rectè *Dn. D. Spen.* Insignium esse in significatione consistere asserit, *v. P. G. Op. Herald. p. 18. §. 20.* Sed hac de re fusius agemus, ubi ad caput II. de interpretatione dilapsi fuerimus.

#### VI.

*Subjectum*, cui inhærent Insignia, *primarium* arma potissimum, scutum & galea sunt, uti cuilibet rem fugitivo saltem oculo inspicienti patet. Si vero præcorum temporum monumenta revolvamur, non modo armis, sed vexillis quoque vehiculis, vestibus, clypeis, coopertoriis tectorum &c. Insignia fuisse impressa, cum *Bartol. de Insign. n. 12.* statuendum nobis est, qui mos hodieque apud nos obtinere quandoque solet. Sic Demetrius apud *Plutarchum & Athenæum lib. 12. c. 19.* chlamydem cum aureis stellis atque duodecim Signis depictam gestasse legitur. In Imperatorum loriceis Gorgonis Medusæ caput conspectum fuisse, Servius autor est. Nec prætereundi hoc loco Persarum Mellophori, quorum

rum

rum thoraces malis (Persicis fortè) insigneabant Reges eorum *v. Spelm. assil. p. 64.* Sic gladiatorum quoque capulo veteres familiaria signa insculpebant, id quod de Pausania, Philippi Macedonis occisore traditur. Is enim quadrigas capulo ensis inscriptas habebat, unde Apollinis oraculum præmonuisse Regem dicitur, ut à quadrigis sibi caveret. Eidem subjecto Caroli M. inhæserunt Insignia, quod prolixius tradit *Dn. D. Spenerus P. G. c. 1. p. 20. §. 24.* Imo ipsis humanis corporibus certæ figuræ imprimebantur olim atque inurebantur, quæ stigmatum nomine vulgo veniebant. Sic ex Plutarcho *Just. Lips. Elect. Lib. 2. c. 15, p. 321.* refert: Samios captivis Atheniensium noctuam (ea enim Atheniensium *δαιψα* fuit) inuisse, & hos vicissim illis Samnæam, navis aliquam speciem. Trahi huc merentur Scuta pura, nobis ein *Wärter Schild* (ab expectando, donec virtute aliquid dignum inscribatur) dicta. Quondam enim militatum ituris clypeus omnibus plane ornamentis destitutus dabatur, quem postea virtutis & fortitudinis pondere in bello spectatæ emetiebantur, Heroibusque dignis emblematis distinguebant vid. exempla ejusmodi purorum Insignium, ex recentiori quoque historia petita, in laudato *Dn. D. Spen. P. G. c. 1. p. 21. §. 18. seq.*

#### VII.

*Partes Insignium essentialia Menestr. Meth. abreg. p. 24.* sequentes constituit, tincturas sc. i. e. cum metallis colores & figuras. Sed partium integrantium quatuordecim enumerat, nempe Scutum, tincturas, partitiones, figuras, atlantes, timbrum, cimerium, symbolum, tesseram militarem, notas distinctivas, dignitatum notas, vexilla, ordines, aliasque appendices scuti. Hæc vero ad tres classes multum quidem commodius Spenerus noster refert, qui Scutum, Galeam & appendices cætera omnia sub se complecti asserit. Tincturas enim cum partitionibus & figuris, partim scuto, partim galeæ accenset. Eodem refert timbrum, seu apicem, quem alii cassidem s. coronam, lacinias, phaleras, fascias & mappulas, *Helmdecken* appellitant, Notas vero distinctivas in scuto cum reliquis figuris esse dicit; dignitatis characteres, ordines, telamones, & recepta apud veteres symbola & tesseras militares vel ad scutum trahit vel inter appendices collocat. *v. P. G. c. 1. p. 25. §. 46.*

#### VIII.



*Finem* tandem Insignium quod concernit, primarius forte is erit, ut per ea persona, familia aut communitas ab alia separetur. Inde *Chorabi illud apud Virgil.* (militibus enim præ cæteris ejusmodi signa olim adhærebant)

*Mutemus clypeos, Danaumque Insignia nobis*

*Aptemus.*

Hic Pomponius, *Pugnatores*, inquit, *ferunt Insignia, ut cognoscantur: in clypeis Græcorum erat Neptunus, in Trojanorum scutis Minerva.* Huic primario fini alios superaddit *Hæp. de jur. Insign. c. 12.* Dari sc. Insignia, 1. ut innotescerent, qui præclare se gessissent. 2. ut sint incitamenta posterorum. 3. ut adspicienti admirationi sint & stupori. 4. ut serviant ornamento. 5. ut sint æterna monumenta gratiæ. 6. ut sint promptitudinis & obsequii imperialis notæ. 7. ut appensa locis à protervia aliorum securitatem præstent. Ast sicuti Dn. D. Spenerus fines hosce non unius esse census dicit; ita *Henr. Spelm.* hac in re judicium laudat, qui in *Aspil. p. 7.* de veterum potissimum Insignibus ita habet: *Qualis quis genii & vigoris aut vere esset, viderive maluerit, excogitato consentaneæ qualitatis Symbolorum aliquo, armis instruendum curat, terroris apud hostes, distinctionis inter suos indicem, virtutis gloriæque apud omnes.*

## IX.

Sed duo restant, quæ in historia Insignium præ cæteris notatu dignissima sunt; *Imagines* scil. & *Colores.* Ea enim sub primum adspectum in oculos nobis incurrunt. *Imagines* sive *Figuras* in ipsis insignibus expressas quod concernit, respiciendum nobis est primò ad *Gentilium Deastros*, qui armis olim inferri consueverunt; Sic teste *Hæping.* Mars Thracum, & Cupido Alcibaidis scutum exornavit: Nec hodiè expiravit plane plenèque indigna isthæc Christianis hominibus consuetudo. Nam Neptuni & Thetidos characteres penes aliquos imperii maritimi summam denotant. Plerique tamen illorum loco *Spiritus*, nobilissimasque creaturas, angelos videlicet supposuère, qui humana, quâ apparuerunt, specie pinguntur. Sic angelus argento amictus, alis aureis fasciaque rubea è collo pendente, manus compli-

B

cans,

cans, cœruleæque parmæ insiftens insigne est Engelhoffianum Ba-  
var. Duo Angeli Telamones, alter vexillum Navarraum, Fran-  
cicum alter gerens, Galliaë stipant scutum &c.

X.

Sed à Spiritibus ad *corpora naturalia*, progressi Dn. D. Spe-  
neri vestigia legemus, & ad triplex Physices Regnum, Artis He-  
raldicæ pabulum accedemus propius. *Regnum* igitur *Ani-  
male* si ingrediamur, ante omnia *humanas* attendimus *effi-  
gies*. Sic militem armatum in cœrulea area, in Scuto Polonico  
Lithuaniam notantem; militem cataphractum in Baronis de Rö-  
dern; Duos Sylvestres viros truncum manu tenentes & tanquam  
telamones Scutum Brandenburgic. præmunientes; Maurum nu-  
dum in Kuffsteiniorum, Bavar.; Eremitam in Einsideliorum; San-  
ctos & speciatim Petrum & Paulum clave & gladio insignitos  
in Rev. Capituli Numburg.; Hermas viriles in Saxonis, Com.  
de Herberstein, Bar. de Sainheim; Virineam Hermam in  
Baronis de Frauenberg; tria Maurorum capita in Seydewizianæ  
Familiaë: brachium cœruleum ense evaginato, Hiberniaë notam,  
in Anglicis stemmatibus atque apicibus observamus. Has inter  
imagines si occurrant *monströse* e. g. tria crura ocreis argenteis in  
rubeo picta, Rabensteiniorum gentilis nota; vel *immutatæ*, e. g.  
tria paria testiculorum, pro quibus tria inversa corda substituta  
sunt, Familiaë Coglione Bergamo - Italicaë Insigne; Seu denique  
*aniles & fabulose*, ut sunt Melusinaë, Sirenum, Chimeraë &c. fi-  
gmenta: notandum est, quod iis Heroicaë scientiaë pretio nihil  
detrahatur, sed eadem jure meritoque reliquis Insignibus accen-  
seantur.

XI.

Ad *Animantia bruta* pergimus, & quidem primùm ad *Vo-  
latilia*, ubi cœteras aves omnes ipsarum Regina *aquila* ante-  
vertit. Hæc ( $\alpha$ ) aurea procumbens & pinnas supernè exten-  
dens Regum Rom.; ( $\beta$ ) argentea veterum Romanorum (cujus &  
*Cicero Orat. 1. § 11. Catilin. mentionem fecit*) ( $\gamma$ ) Nigra biceps in  
aureo solo, corona Imperatoria cincta, rostro & cruribus coccineis,  
Imperatoris Romano-Germanici; (Controversiam verò de bicipi-  
tis hujus alitis origine nostram non facimus, quippe quæ ab aliis  
fufis-

fufiffimè tractata, sed nondum satis pertracta videtur ; ) (d) Cœrulea in auro Com. Anhaltinorum in scuto Brunsvicensi ; (e) Rubra in auro, rostro, corona & cruribus aureis, in cuius pectore aliud scutulum pendet, rubentibus vexillis distinctum, Fürstenbergiorum Insignia existunt.

## XII.

Sequitur cæterarum volucrum exercitus, e. g. (1) *Pelicanus*, rostro sibi pectus fodiens, & occisos à serpente pullos refocillans, Alphonsi Arragoniæ R. Symbolum, aureus verò Brunsvicensium & niger Trautsoniorum tessera. (2) *Cygnus* argenteus, rostro & pedibus aureis in rubeo, Schvvanenbergiorum emblemata. (3) *Gallus*, & quidem duo galli gallinacei nigri, adversus se invicem, pugnantes & ponti aureo insistentes Baron. Steger. de Laden-dorff Gallina verò nigra in auro Comit. Hennebergensis nota. (4) *Pavo* in apice expansa cauda Com. Bentheimiorum & Tecklenburgiorum insigne ; (5) *Grus* in argenteo Com. Ruthenorum de Plavia Gentile ornamentum ; (6) *Corvus* Corvinorum apud Romanos, Pappenheimiorum &c. stemma. (7) *Vultures*, Comit. de Geyersberg Sigillum &c. Ad volatiliam partes quod attinet, alia potissimum in armis conspiciuntur, & hæc quidem (a) *Aquilarum*, quæ in apice Archi-Episcopi Moguntini & Trevirensis Electorum, Ducum Saxoniarum & Brandenburgi, Principum Nassoviæ, Com. Lippiæ &c. occurrunt. (b) *Pavonum*, quæ Marchionum Badensium, Duc. Brunsvicensium & Mecklenburgensium &c. insignia ornant ; (c) *Vulturum*, quæ Ægyptiarum olim ædium vestibulis præfigebantur. (d) *Columbarum* &c. vid. plura in Dn. D. Spener. part. general. p. 226. §. 38. seq.

## XIII.

Nec ipsa insectorum familia, eorundemque partes hic exulant. Sic tres *cantherii* in scuto Saxonico nota Comit. Ravensberg. existunt. *Papilionem* Dux Sabaudiarum ; *Apes* Barbarini ; *Tria Scarabeorum cornua*, Comit. Brennensis characterem, Saxones, alii *araneos*, *vespas*, *formicas*, *muscas*, *cicadas*, *grillos*, & id genus alia, quæ singula in medium afferre nimis prolixum foret, in tessellis suis ostentant, vid. cit. Dn. Auctorem part. gen. p. 225.

## XIV.

A volatilibus ad *Quadrupedia* & *Gressilia* descendimus, inter quæ

quæ agmen veluti ducit *Leo*, Rex animantium pedibus incedentium. Hic ( $\alpha$ ) aureus, & coronatus quidem, securim Amazonicam s. bipennem argenteam aureo manubrio referens in Danico Symbolo Norvvegiam denotat; ( $\beta$ ) argenteus in parma rubea in Imperatorio scuto Bohemiam significat; ( $\gamma$ ) aureus superiore corporis parte, inferiore argenteus in tessera Saxon. *δῆγμα* terræ Pleiffensis existit; ( $\delta$ ) Niger in aureo lingua & falculis coccineis in insignibus Saxon. Misniæ; id. ibid. dentibus & falculis argenteis, linguam rubeam protendens, Juliæ ditionis nota est. ( $\epsilon$ ) Coccineus in scuto aureo, corona, lingua & falculis cœruleis tessera domus Habsburgicæ; ( $\zeta$ ) Cœruleus in auro cum securi Romana, vel bipenni, Duc. Holsatiæ, aliàs Norvvegicæ Regum communis character. ( $\eta$ ) Rubeus in auro Scotiæ, in argento autem falculis & corona aurea in armis Saxon. & Brandenburg. Ducat. Bergensis indicium. *Partes vero Leoninas* e. g. tria capita aurea in scuto Imperatorio emblemata Regni Dalmatici deprehendimus. Spectat & huc *Leo*, uti vocatur, Legionensis dimidius, dextrâ enses tenens, qui coronatus ipse adhuc coronat apicem Castiliensem. Sic Leonibus plerumque dimidiis utuntur Comites de Hohenlohe, de Gûldenlôvve, Bar. de Schönborn &c.

#### XV.

Sequitur *Leopardus*, quem aureum in parma rubea Rex Daniæ, Gothiæ *δῆγμα*; Cœruleos tres linguis & falculis aureis, itidem Rex Daniæ; Rubeos duos Domus de Crequy &c. gestant; *Gryphus*, quem aureum Duces Mecklenburgici; argenteum Imperator noster ratione Styriæ &c. coccineum Elector Brandenburgicus Pomeraniæ notam; nigrum idem ille Cassubiæ, & Principatus Bartici emblemata; rubeum Sinzendorffii & Salmenses Comites &c. in scutis suis exhibent. *Elephas*, quem argenteum Comites Helffensteinii; *Ursus*, quem itidem argenteum Rex Daniæ; *Cervus*, quem Brunsvicensis Comitatus Clettenburgici characterem; *Lupus*, quorum duos Marchiones de Astorga; *Apes*, quem Marchiones Durlacenses & Comites Ebersteinii; *Vulpes*, quem Barones ab Eck & Com. de Fronsberg; *Lepus*, quem ipsa Hispania & Hasenburgii Bayari &c. &c. gestare consueverunt.

#### XVI.

## XVI.

Ad *Domestica* nunc *Animantia* accedimus, animadvertentes, quod *Equum* Frauenbergii, (Bav.) Wolzogen, (Austr.) Theoboldi (Rom;) *Asinum* Patavini aliquando, itemque Neapolitani; Rietheim (Bavar.) *Bovem* Electores Saxon. ratione inferioris Lusatiae, *Bovina* vero *cornua*, eorumque duo ex argento & minio variegato, cuspidibus averfis, in campo caeruleo & in apice extremitatibus apertis repetita *Florentissima Nostiziorum Familia*; *Arietem* R. Daniæ Gothiæ Symbolum, vid. *Loccen. Antiqu. Suec. Gotb. L. 3. c. 2. p. 120.* nec non Borviziorem in Silesia gens; *Canem*, Colophoniorum olim & Caspiorum aciei & prælii nuncium, Duces Gramontani inter notas referunt gentilitias &c.

## XVII.

*Natalitia* sunt e. g. *Delphinus*, qui caeruleus in auro rubeis auribus, in Delphini s. Dauphini R. Gallorum primogeniti, totiusque Delphinatus Insignibus conspicitur: *Asellus argenteus* auro coronatus in rubeo, nota in Symbolo Danico Islandiæ est. *Mulli barbati* duo Comites de Barby; *Salmones* gemini argentei Comitum Salmensium tesserae existunt &c.

## XVIII.

*Animantium* agmen *Reptilia* cogunt. In his *serpentes* Ægyptiorum olim Hieroglyphicum erant. vid. *Kirch. Oedip. Ægypt. variis hac de re vicibus differentem*; Sed niger anguis in auro, ductus in gyrum coronatusque auro Comitum Stahrenbergiorum arma exornat. *Draco* coronatus aureus in rubeo Slaviæ & Vandalia nota in scuto Danico; aureus in galea Regis Lusitaniæ; barbatus & cornutus in insign. Sinensium Imperatorum, quo antiquitatem sui regni simul assertum eunt, reperitur, conf. *Lambec. & Kirch. in China illustr. p. 25. seqq.* *Basiliscos* denique, *Scorpiones*, *testudines*, *bufones* &c. qui passim occurrunt in familiarum illustrium scutis, non capit pagellarum nostrarum angustia.

## XIX.

*Regnum igitur Plantale* ingredimur, Heroum ibidem decerpturi flosculos. Offendimus verò isthuc (1) *palmarum* & *olive ramos*, in Grimaldorum Princip. Itatorum apice; (2) *Quercum* in Eichenauerorum Siles. Ruckingenorum Francof. Symbolo, (3) *Lilium*

in Galliarum Regni Insignibus (licet non diffitemur, variè adhuc disceptari inter artis Heraldicæ scriptores, num per figuras istas bufones, coronæ, bipennes apesve indigentur.) (4) *Rosam* in Scuto Saxonico, *δαγμα* Burggrafiatus Aldenburgici; in Brandenburgico insigne Comitatus Guzkoviani. (5) *Rutam* & ex ea compositam ferti partem in armis Saxonum. (6) *Urticam* in stemmate Danico respectu Holsatiæ &c. *Heliotropium, Violam* &c.

## XX.


Nunc ad *Regnum Minerale* deveniendum nobis esset, ubi *metalla* potissimum, aurum atq; argentum occurrunt in insignibus frequentissimè obvia. Sed quoniam ea non tam imagines quàm colores & ornamenta constituunt, infra de hac materia tractandi commodior sese offeret occasio. Jam ex naturali doctrina Siderum adhuc injicienda mentio erit. Nam *Sol.* e. g. Persarum olim familiare Symbolum fuit, unde ipsorum heliolatria inter omnes constat. Hodie Gallorum ambitio solem sibi vendicavit, eumque vexillis ipsorum inscripsit; *Luna* & ea quidem dimidia vulgare Mahumetanorum insigne fertur, quam ipse modernus Galliarum Rex crescentem depinxerat, & Delphini adhuc nomina gerens Symboli loco sibi elegerat. *Stellas* Alexander VII. S. P. suo impressas scuto circumtulit, easdemque aureas Comit. de Geyersberg; argenteas Landgrafi Hassiæ Casselenses aliique in insignibus gerunt conspicuas. *Meteora ignita impura* e. g. titionem aureum in morem facis ardentem scuta Bar. de Wurmbbrand, v. *part. spec. Operis Herald. Spen. p. 570.*; *aquea* vero e. g. flumina & fontes Schönborniorum & Braidenbachiorum sigilla præ se ferunt.

## XXI.

A naturalibus ad *Artificialia* factò transitu, horum non nisi exempla aliquot in scenam producemus. Et pietati quidem non nihil tribuentes communem Christianorum characterem, *Crucem* nimirum, præmittemus. Eam Habessinorum Reges, teste *Ludolff. hist. Æthiop. L. II. c. 1. n. 41. seq.* loco tesserae, quâ literas insigniunt suas, usurpant. In Europa nostra Lusitanorum Regum stemma crucem refert. Crux Danica, à Carolo M. uti communiter perhibent concessa, pro nota Delmenhorstica habetur. Sic cruces in tesseris gerunt Archi-Episcop. Trevirensis, Dux Holsatiæ & Episcop. Lubecen-

becensis &c. Crucem sequitur *Sceptrum*, in apice Imperatoris Rom. German. inque armis Brandenburg. *Corona* eaque numero ternario conspicua in stemmate Suecico, triplex v. in Pontificali tessera; *Gladius*, & is quidem duplex in scuto Electorali Saxon; *Anchora* in Henricianæ familiæ nota gentilitia, Castiliæ Admiralatum designans; *Chelis*, instrumentum Musicum in anglico symbolo Hybernici nota; *Transversalis Trabs* in *Perillustri Beichlinchiorum Familia*, *Pali* verò in *Florentissima Lipsiensis Reipubl.* Insignibus existentes &c.

## XXII.

Literas tandem atque voces imò integras enunciationes in tesseriis reperiri gentilitiis, res ipsa videtur loqui. Sic Constantinus M. Monogramma Christi hac notatum figura  labaro primus imposuisse dicitur. *vid. Mabillon. L. II. de re diplomat. c. X. n. 10. seqq.* Quinque vocalibus. *A. E. I. O. U.* Ferdinandus III. & post eum Joh. Fridericus Saxon. Dux Joh. Friderici Electoris filius Symboli loco usi fuerunt. Sabaudi vocem *F. E. R. T.*; Angli verò effatum: *Dieu & mon Droit*, Insignibus suis vel inscripsere vel subscripsere. Utrisque vocibus sc. singulis & integris Enunciationibus claret Gonzagianum Symbolum: In apice enim montem & super illum altare cum verbo: *Fides*, in pede montis vocem  $\sigma\lambda\upsilon\mu\pi$  deprehendimus Integrum v. scutum torque ordinis Sacramenti circumdatur cum lemmate: *Domine probasti me*, præter vocem *libertatis*, quam etiam annexam legimus. Domus Mendozia angelicam salutationem: *Ave Maria gratia plena* symbolis adscripsit. Liceat ob affinitatem materiæ huc trahere recentiorum quorundam Ordinum Symbola & Serenissimorum autorum splendore & ipso inscriptionum acumine celebria. Primus & is quidem recentissimus Ordo ille est, quem SAXONIÆ & BRANDEBURGI ELECTORES, duo isthæc post solem Austriacum Germaniæ maxima sidera, anni superioris mense Januario, in conventu quodam Torgaviano, sempiternæ amicitiae & infucati candoris ergò erexere. Huius emblemata aureum armillum est, rubeo ligamine alligatum manui dextræ: in altera facie duæ manus cataphractæ indecussim trajectæ cum lemmate: *Uny pour jamais*;

*jamaïs*; in altera v. duorum Electorum Nominum initiales literæ  
 conspiciuntur J. G. 4. E. & J. 3. E. adjecta Epigraphe: *Sin-*  
*cere amicitie*. Secundum ordinem *Germani candoris* (der Teut-  
*sehen Redligkeit*) dictum, ante paucos hos annos FRIDERICUS  
 SERENIS S. SAXO-GOTHANUS DUX instituit. Character  
 ejus in altera facie litera Nominis initialis F. in altera manus jun-  
*ctæ*, adjecto elogio: *fideliter & constanter*. Tandem ELEONO-  
 RA Ferdinandi III. Imp. Vidua duplicis ordinis fundatrix extitit.  
 Prior *virtutis* est, cujus membra mancipiorum Virtutis (Sclavine  
*nen der Tugend*) nomine veniunt. In Symboli vicem elegit so-  
 lem, encaustico opere aureo numismati inpressum ac laureola  
 cinctum, quem ambit Epigramma: *Sola triumphat*. Posterior  
*Crucis* s. *Sociata veneratio crucis* (die vereinigte Kreuz-Vereh-  
*rung*) cognominatur. Occasio hujus ordinis fuit incendium il-  
 lud 1668. ædes corripuens imperatorias, inque iis ornamenta & u-  
 tensilia laudatæ suprâ Matronæ pretiosiora consumens, præter  
 cruciculam auream Salvatoris crucifixi signum, ferens, quam ma-  
 gni semper fecerat pientissima Imperatrix. Hâc illæsa repertâ E-  
 leonora lætans in devotam crucis sacre venerationem hunc ordi-  
 nem instituit. Tessera loco crux in ligamine candido sinistra  
 pectoris parti aptanda assumebatur, cujus medium lineola lignei  
 coloris permeabat, extremitates verò quatuor stellæ, & angulos to-  
 tidem aquilæ ornant, cum lemate: *Salus & gloria*. vid. *Im Hoff. N.*  
*Pr. L. l. c. III.* Cæteros hîc loci Ordines allegare supervacaneum  
 duxi, præsertim quum sufficientissimè id à laudato sæpius *Dn.*  
*D. Spenero part. gen. c. VII.* factum fuisse constat.

### XXIII.

Ultimò loco *colores tincturasve*; sed ea, quâ fieri pot-

est, brevitate in memoriam revocamus. In duas autem clas-

ses facili sese negotio locari patiuntur, in *Metalla* sc. & *Colores*

Ad *Metalla* referuntur, *aurum* s. *flavum*, quod Chînensibus potissi-

imum arridet insignia componentibus (2) *argentum* s. *album*, tin-

ctura Gallis præ cæteris gratissima, & qua Nobilitas olim Germaniæ

recens sub Henrico Aucupe maximè delectabatur. Sequuntur

*Colores* & ii quidem (α) *rubeus*, quem milites Romani, quod mi-

litarem eundem dicebant, magnificiebant, eoque triumphantium

ora



ora illinebant. (β) *Purpureus*, quo nemo, nisi Imperantes olim gaudebant, quippe privati omnes, qui purpuram assumebant criminis læsæ Majestatis poscebantur. (γ) *Prasinus* s. *viridis*, qui Persis perplacet, & ita familiaris Cardinalibus est, ut defuncto quoque Pontifice baculos viridi colore tinctos in ipso luctu gestent. (δ) *Cæruleus*, (Easur oder blaue Farbe) Syecis quondam, Rudbecio teste, maximè expetitus: (ε) *Niger*, qui Hispanis amabilis, in- visus verò Turcis est. Et isti colores in arte Heraldica propriè dan- tur, cæteri autem vel miscentur, vel nativo lumine exprimuntur, quò referendæ pretiosissimæ quædam pelles v. g. *Hermeline* &c.

## CAPUT II.

DE

### INTERPRETATIONIS INSIGNIUM

M O D O.

L

**A**D ea, quæ restant, nos accingentes ipsam insignium aggre- dimur interpretationem, & eam quidem sequentibus inclu- dere canonibus lubet.

- I. Ante omnia notandi sunt Artis Terminii, quibus neglectis nec alios de Arte Heraldica differentes percipere, nec ipsi nostros exprimere conceptus poterimus.

Sic nemo hac in re felicem experietur successum, nisi qui sciat, quid per Scutum, Parmam, Solum, Aream (das Feld) decussatas scutorum Areas (Creutz = oder Zwerg = Felder) Figuras, Fascias, (Bänder / Binden / Balcken / Striche) Lemniscos, (Creutz = Bänder) Galeam (den Helm) Phaleras, Vittas, Lacinias Helm = oder Wapen = Decken) Apicem vel Timbrum (den Sturm = Hut) Te- lamones (Helm = Stützen) Lineas perpendiculariter ductas, Diago- nales dextras, Diagonales sinistras &c. &c. indigitetur. De his & innumeris aliis absolutissimum Speneri opus, cujus Pars General. istorum Terminorum veluti Lexicon exhibet, videri potest. Nos paucis, iisque exempli saltem locò adductis ad alia nunc pergimus.

C

II. Et

Et ipsa quidem scuta inspicientes, atque à simplicioribus quasi Elementis primordiis captis, literas primum, deinceps integrorum vocum, rerum & sic porro, rationem habebimus. Sit igitur canon

II. Literæ in tesseriis gentilitiis non nunquam obviæ, vel ex figura vel ex intentione Autorum, sub iis initialibus totas sæpissime voces innuentium, dijudicandæ percipiendæque sunt.

Nolo h. l. urgere decantatissimam literam Thau, qui uno Theologorum, Jctorum atque Historicorum ore cum cruce, Christianorum Insigni, componitur. Eandem enim ut frontibus mœstorum ac super abominatione Hierosolymitana lugentium inscriberet, adeoque crucis prælagiret mysterium, ab ipso Jehova missus fuit Cherubim. vid. Ezech. IX. 3. & 4. Apocal. VII. 2, 3. Quod verò crucis præ se ferat figuram isthæc litera, si scil. juxta veterem scribendi consuetudinem pingatur, per T. puta, Andr. Osiander in Not. ad Ezech. IX. observat. Sic Comit. ab Althann scuto utuntur simplici pro more vetustatis; sed fasciam Insigne transeuntem argentea litera majuscula, & prisco caractere picta A distinguit. Istius verò literæ non alia significatio est, quam quod nominis Althanniorum initialis sit. vid. Dn. D. Spener. P. S. Op. Her. p. 377. Sabaudia Ducis vocem F. E. R. T. *δέρμα* loco gerunt, idque eam, quam vulgò tradunt, ob causam, quod Amadeus s. III. s. IV. pugnans adversus Turcas Rhodiis subvenerit, eosque Barbarorum tyrannidi eripuerit. Hinc isti in perpetuam beneficii hujus memoriam, quatuor has literas cruci superinscriptas Sabaudis assignarunt, iisque significatum dederunt, quod Fortitudo Ejus Rhodum Tenuerit. Monogrammati Constantiniani, idem ac *χρ*. priores vocis *χρ* *ε* *ρ* *σ* *θ* literas denotantis; nec non vocalium quinque, Frid. III. Imp. Symboli, supra facta jamjam mentio fuit, v. tamen si lubet de isto Mabill. lib. 2. de re Dipl. c. X. n. 10 seq. & de his Becm. N. D. VII. 3. 1.

III. Sæpe Insignia ad Nomen alludunt ejus, cui designan-

gnando adhibentur, atque inde *Æquivoca* s. *Paronomastica* dicuntur.

Exempla ex antiquitate petita si desideres, tam fecundam ipsorum segetem deprehendes, ut Freherus pleraque antiqua talia fuisse fateatur. Ita *Troës stropham*, quæ latino nomine troja dicebatur, in Insignibus; *Rhodii* in numis, uti nunc quoque videre est, *Rosam*; *Selinuntii* in vexillo herbam *σέλινον* &c. gestarunt. Ex recentiori Insignium historia cognosces, quod apud Italos *Alciati* ab *alce*, *Columnii* à *columna*, *Castiliones* à *castello*, *Turiani* à *turre* &c. nomen & cum hoc Insignia assumpserint. Nec in Anglia exempla desiderantur: Sic teste Upton. *Dominus de Bourtraux* gestat *tres botraces*, seu bufones nigros in alveo argenteo; *Lucii tres lucios* &c. v. *Eduard. Bisseum ad Upton p. 51. 58. 74. &c.* Inter Hispanos *Luna Lunam* argenteam cornibus deorsum versis, *Figueræa tria folia fici* viridia in scuto; *Granada quinq; mala Punica* in Insignibus suis exhibent. In Suecia nominibus convenientia Insignia Familæ *Oxenstiern*, *Sparr*, *Lewenhaupt*, *Baner* &c. gerunt. Germani *Comitatum Hennebergensem*, quæ *Gallinam*, *Schœneichios*, qui *quercum*; *Celebr. Falcknerorum Famil. quæ falconem* in stematibus suis circumferunt, & innumera id generis alia exempla afferre possent, nisi de his satis cui-libet constaret. Observandum præterea, quod in Civitatum quoq; clypeis nihil frequentius sit, quam paronomasticæ imagines, uti exemplis civitatum *Lindavii*, *Ænipontis*, *Monachii*, *Bernæ*, *Cygnæ*, *Schaphusii*, *Ochenfurti*, *Berolini*, *Wolfsbergæ*, *Ellenbogæ* &c. probari potest. Sic urbes & oppida pleraque, quæ à *burg* s. *castro* denominarentur *castrum* s. *arcem* in Insignibus gerere, e. g. *Luneburg*, *Hamburg*, *Magdeburg*, *Salzburg*, *Aldenburg*, *Mersburg* &c. quæ à *ponte*, *pontem* e. g. *Insprug*, *Hemsbrug* & apud Gallos *Pontamossoun* in *Lotharingia* &c. quæ apud nos in *hausen*, *domum arcemque* e. g. *Schaffhausen*, *Immenhausen*, *Wirzenhausen* &c. quæ in *berg*, *montem* e. g. *Heidelberg*, *Franckenberg*, *Königsberg* &c. symboli loco præ se ferre *Sebast. Fesch de Insign. eorumque jure c. 8. n. 12.* animadvertit. Quod vero æquivoca ejusmodi Insignia æque probent, nihilque inferiora aliis sint, *Dn. D. Spen. P. G. p. 362. §. 3.* demonstratum ivit, it. *Hæp. de jure Insign. c. 5. n. 39.*









IV. Insignia nonnunquam egregia Majorum facinora exhibent, adeoque ex eo interpretanda capite veniunt.

Notum est, quod antiquitus Scuta pura i. e. nullis imaginibus distincta ab illis gestata fuerint, qui nihil adhuc comisissent, nec meriti essent Insignia. Videtur eò collimasse *Virgil.* qui *Aeneid. IV. 548. parmaque inglorius alba*, canit. His vero deinceps figuræ inscribebantur, quæ cujuscunque facta ex merito referrent. Ita si quis fortî hostem animo invadens eundem prostraverat, *leo*; si pudicitiam defenderat, *monoceros* ipsi tribuebatur. Sed ad recentiora progressi ante omnia Navarrenum observamus Scutum, cujus imaginem plerique rei fecialis periti catenas interpretantur, in crucem decussim & peribolum dispositas cohærentes, atque medium continentes *smaragdum*. Et has quidem catenas sumptas existimant in memoriam catenarum, quibus 1212. Maurorum Rex *Miramolinus* castra sua, quæ tamen Rex *Sanctius* expugnavit, clauserat atque munierat, v. *Limn. Not. Franc. l. 10. p. 271. & Tom. IV. jur. Publ. addit. 66 p. 98.* Sic in *Comitum Schwarzenbergiorum*, & quidem *Franconicæ* *Linæ* Insignibus quadrupartitum exhibetur Scutum, ubi secunda tertiaque areola *spectaculum* exhibet *corvi nigri capitis Turcici* oculos fodientis. Rationem hujus imagines tradit *Ægid. Gelen. de Magn. Colon. Agripp. L. 2. S. 31. p. 191.* hisce verbis: *Cum Schwarzenburgicus adhuc Patrum nostrorum memoria, cum Gaurinum, Germanis Raab, i. e. Corvum compellatum occupasset, detruncatum verticem cum insidente corvo vetustissimis gentilitiis tesseriis adjecit. Familia Espagne Montesspan, quæ gestat in Scuto aureo castellum rubeum, nigra porta clausum, tribus Maurorum capitibus, quæ diadematibus tortilibus exornantur, replentibus, Insignia ex victoria aliqua de Mauris obtenta orta esse persuasum habet le Labor. de l' orig: des arm. n. 57.* Trahi huc possunt *Note Familiarum infames*, quas ob commissa scelera vel soli facinoris autores, vel ipsorum quoque posterî in Insignibus gestare coguntur. Sic *Herbertus Veromanduorum Comes* pantheram argenteam Scuto inferre rubeo, in felonix notam, omissis prioribus

bus insignibus iussus fuit; & Johannes Avesnensis, quòd matri maledixisset, leonem absque falcibus & lingua gestare coactus est, &c. vid. M. Vulson. de la Columb. scienc. Heroiqu. c. 8.

V.

V. In coloribus Insignium sive tincturis ad duo respiciendum est: (1) ad istorum æri incisorum expressionem, quæ ex linearum punctorumque varia dispositione patet: (2) ad significationem, ex Arte potissimum Hieroglyphica petendam,

Ad expressionem quod spectat, (α) Metalla occurrunt. e. g. *Aurum* seu *flavum*, quod in scutis arenularum instar pingitur, h. m. ; *Argentum* s. *album*, quod ex opposito ordinariam chartæ faciem, albam nimirum retinet h. m. : (β) Colores, e. g. *Rubeus*, cujus character in æquore chartaceo sunt lineæ perpendiculariter ductæ ; *Cæruleus*, qui rubeo contradistinctus perpendicularibus dextris (durch gleiche Querstriche)  notatur; *viridis*, qui diagonalibus sinistris (an Querstrichen von der linken zur rechten Hand)  dignoscitur; *Purpureus*, qui diagonalibus dextris (von der rechten zur linken)  exprimitur; *Niger*, quem perpendiculares cancellatæ  indicant; *Vellus* tandem *Hermionicum*, quod sub hoc exhiberi schemate consuevit.  &c. Sed missis hisce ad significationis evolutionem pergimus. *Aurum* metallorum omnium præstantissimum est, quam quidem præstantiam inde probant, quia aurum natura clarum & lucidum sit, atque ipsæ sacrarum literarum paginæ justitiam vel sanctum hominem auro comparare soleant. Et licet sint, qui avaritiæ & proditiõnis emblemata id esse credant, doctissimis tamen argumentis Dn. D. Spen. P. G. c. IV. excellentiam hujus Metallii asseruit. Exempli loco urbis cujusdam imperialis cit. Dn. Autor meminit, ubi scuti argenti in aurum mutare iis saltem licuerit, qui ad rem publicam gubernandam accesserant, à reliquis eòdem servato metallo. Sequitur *Argentum* (*albus*

*bus color*) quod cæteris metallis non nulli præferunt, ipsique multò majorem dignitatem, quam præ auro Insignibus conciliaret, attribuunt innixi Heraldicorum regulæ: *Eo sc. præstantiora duci Insignia, quò magis ad album accederent.* Nam albus color nihil haberet admixti, atque adeò simplicitatis atque puritatis symbolum esset ipsi divino Numini gratissimum. Galliarum certè Regibus ita probatur argenteus & albus color, ut avitis gentis suæ moribus felicitatis, lætitiæ & gloriæ indicium eum interpretentur, cumque veteribus, *vid. Val. Maxim. L. 1. c. 6.* pro regio habeant. Videntur & hujus interpretationis vestigia in ipsis Scripturis occurrere. Christus enim à Pilati militibus purpura indutus *Marc. XV, 17.* ab Herode vero veste albâ tectus fuit. *Luc. XXIII, 11.* cum utraque eum factio tanquam falsum Principem, Regemque fictitium irridere & publico exponere ludibrio in animum induxisset suum. Sed citatori cursu ad metam tendentes cæteros nunc colores contemplabimur. *Rubeus* Heroicus color est, & plerumque sanguinolentiæ & vastationis, nota extitit: Hinc idem iste in vino conspicuus ipsos in bello Elephantos accendit, iisque, ut crudelius in hostes sævirent, stimulos admovit, Conspirat cum hoc *Purpureus*, qui Romanis pariter & Thracibus summam imperii Majestatem denotavit. Sic *Viridem* spem, robur & vigorem portendere; *cæruleum* justitiæ, claritatis famæque symbolum esse; *nigrum* firmitatis, tristitiæ atque infelicitatis indicium haberi, neminem facile fugere persuasus sum. *Hermelinus* tandem puritatis pietatisque emblemata existit; siquidem animantia hisce induta pellibus mori potius, quam fœdari cupiunt. Alii per colores tempora inaugurationis Scutorum indigitari credunt, ita ut scutum *viride s. prasinum* Veris; *aureum s. flavum & rubrum* Æstatis; *purpureum vel cæruleum* Autumni; *album vel nigrum* Hiemis tempore sit paratum, quod tamen à plerisque in dubium vocatur.

## VI.

VI. Effigies s. figuras ipsas, quarum tincturas hactenus consideravimus, hieroglyphicè plerumque interpretari nos oportet.

Et *Deos* quidem *Gentiles* quod attinet, *Neptuni* v. g. & *Thetidos* imagines imperii maritimi summam denotare supra §. 9. demonstratum

tum

tum jamjam fuit. *Angeli* telamonum instar scuta sustinentes præfidiorum forte & excubiarum symbola existunt. *Homines* e.g. Miles animum generosum & obviam ire hostibus utcunq̄ue paratum significat. *Animalia*, & inter *Volatilia* e.g. aquila fortitudinis atque sublimitatis; Pelicanus *Φιλοσοφίας*; *Cygnus* candoris; *Pavo* superbix emblemata habetur: Inter *insecta* araneus artis & prudentix; *formica* laboris, *Scarabeus* virilis animi, & juxta *Ægyptios* ipsius divinitatis tessera &c. judicatur: Inter *Gresilia* *Leo* furoris in superbos, & clementix in humiles; *Elephas* fortitudinis militaris; *Cervus* celeritatis in rebus gerendis &c. typus existimatur: inter *Domestica* Equus imperterriti bellatoris; Canis fidei; Ovis mansuetudinis & simplicitatis &c. indicium est; Inter *Natantia* Delphinus gratitudinem; inter *Reptilia* serpens prudentiam; Inter *Vegetabilia*, & quidem *Arbores* palma victoriam; inter Flores *Lilium* candorem; inter *Mineralia* aurum excellentiam, (*vid. preced. §.*) inter *Sidera* Sol imperii; inter *meteora* faces ardentes amantium affectum; inter *Artefacta* corona & anulus connexionem & arctum vinculum, quo Rex cum grege unitur; sceptrum clementiam; anchora spem & chelys harmoniam, regnorum fulcimen significat. *vid. de hac interpretandi Method. Pier. Hieroglyph. & qui fusissimè omnium de eadem materia agit. Athan. Kirch. in Oedip. Ægypt.* Hos verò significatus omnes num respexerint semper, qui insignia s. concesserunt s. appetiverunt, non facilè iverim assertum, maximè in iis, ubi mysticæ rationes nimis longe petuntur, & à Poëtis potissimum anxie conquiruntur. Interim negari non potest, multos insignium autores eò respexisse, ut scutis talia inscriberent, quæ vel rerum gestarum memoriam revocare, vel ad edenda præclara facinora invitare possent gestantes. Imò sunt, qui argumentis non ficulneis demonstrant, quod nec indicia portare deteriora in insignibus nobilitate indignum sit, si sc. trophæa vel spolia hostibus erepta referant. Ita, qui hostem vicisset voluptatibus deditum & intemperantem, ille absque ignominix nota & eodem jure, quo alii Maurorum à se fusorum capita gestant, porcum inscribere posset stemmatibus suis.

## VII.

VII. Interdum peculiare notæ insignium adhærentes figuris, idq; vel illegitimæ nativitatis, vel ignominix causa, observandæ accurato interpreti sunt. Ut

OK  
T/m  
463

Ut matrimoniorum dignitati sanctitatiq̄ue consulatur, illis, qui ex illegitimo thoro prognati, paterna gestare insignia nunquam fuit licitum, nisi vel nota iis adscripta, vel planè immutata isthæc fuerint. Nota quæ adscribi hujus farinae Insignibus solet *Barra s. balthem Diagonalis* est, ex sinistro angulo totius parmæ ipsiusq̄ue figuris inductus. In Gallia & Belgia exempla hujus Barre frequentissimè prostant: Sic Johannes nothus Lucenburgus Dn. de Haubourdin scuto Gentilitio cœruleam tæniam obliquam sinistram induxit. *Vid. Chifflet. Insign. aquis. A. V. n. 33.* Ita superioribus annis Henr. Valesius, Dux Engolismensis, qui 1653. obiit, Francorum scutum gestabat cum bacillo s. tænia transversim ex sinistro latere ducta. Refertur inter has notas *galea ad sinistram versa* solet, *Vid. Limn. Jur. publ. VI. 6. 71.* Verum enim verò cum situs ille nostris Germanis arbitrarius sit, satis apparet, quod universalis ex inde regula peti nequeat. Alia, quæ idem innuunt signa. e. g. quadrantem &c. *Dn. D. Spen. enumerat P. G. p. 359. seq.* Sed restant adhuc pauca de notis ignominia causa, ut vulgo ferunt, inductis e. g. *si abscindatur angulus dexter*, jactabundum; *si pes semicirculo à reliquo scuto separetur*, eum qui bello captum occiderit; *si pes scuti linea transversa abscindatur*, eum qui principem mendaciis in belum compulerit; *si scutum inversum pingatur*, proditorem vel fugitivum &c. &c. designari perhibent. *Vid. plura apud M. Vulf. de la Colomb. scienc. heroiq̄, c. 10. p. 68. seq.* Sed parum huic ipsi interpretationi tribuendum esse, non diffiteor.

#### VIII

VIII. Potest & Insignium Interpretatio peti ex causis, quæ ansam præbuerunt vel eligendi, vel aliis communicandi Gentilitias tesseræ.

Referimus huc *Ortum*. Sic Alexander, qui à Dracone Matrem Olympiadem comprimente genitum se fuisse credebat, anguem in Insignibus infantem vix natum ore evomentem gestavit. *V. Limn. lib. 6. c. 6. n. 9.* Electores Moguntini pro Insigni rotam habent, ortam a Willigis, cujus Pater rhedarius fuit: *Conditionem & Statum Vita*. Hinc rei militaris peritissimi, in eligendis sibi armis, bellica olim assumebant instrumenta e. g. cassides, scuta, hastas: *Officium*, & ea quidem occasione factum est, ut Electores Seculares, quæ Imperatori præferunt Insignia, clypeis suis exposita habeant: *Numerum*. Ita Lusitanorum Reges quinque in Insignibus Scuta exhibent, vel ob 5 Reges in prælio ab autore occisos, vel ob totidem Christi vulnera, quod ex ipsis Alphonsi literis *ap. Caram. de Lobko & viz. in Philip. L. 2. art. 7.* patet &c. *Tres coronas* in Symbolo Svecico conspicuas ita interpretantur vulgo, quod Svecorum, Gothorum Vandalorumque tria Regna denotent. *V. plura hac de re Dn. D. Spen. P. S. p. 541. §. 5.*

#### IX.

Ulterius in *Insignium origines*, sæpe ex Accidente quodam natas (quale quid accidit Scuto Saxonico, cum à Frid. Barbarossa *Sertum Rutaceum* adjiendum esset) inquirere & Interpretationis exinde subsidia haurire possemus: Sed pagellarum angustia exclusi Colophonem Dissertationi nostræ imponimus, firmissima spe freti, fore, ut B. L. omnia in meliorem interpretetur partem.

S. D. G.

1077 710





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]
[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]	[Patch]

12

12

13

14

15

